

gulare; At illa cum tristitia dixit illi; nullum mihi impingere crimen aliquod potes; recordare scelus, quod fecisti, quia si nudatus fuerit, morieris; omnes enim præter Regem me diligunt. Si hoc quis scierit facinus, occultè interficere te faciam. Ad hæc verba ille aporiatu, ingressus est cubiculum, ubi Rex ex parte vincto digesto jacet, & accessit ad stratum Regis, eduxit gladium, ut interficeret eum. Ille verò sentiens, *vigilans*, (1) de somno furrexit. Voluit gladium evaginare, quod non valuit, quia colligatus uxoris manibus fortiter fuerat. Tunc accipiens scabellum, ubi pedes ponere solitus erat, pro scuto usus est, seque modicè defendit, vociferansque, nullus erat, qui auderet, eo quòd iussu uxoris suæ, quasi Regis quies, omnes janæ palatii clausæ erant. Superatque Rex interfectus est. Voluerunt Langobardi hunc interimere Homicidam, & Reginam cum eo, sed notum consilium, venit Veronam donec furor populi conquiesceret. Sed jurgantes fortiter Langobardi contra eam, depopulato palatio, cum multitudine Gebedorum, & Langobardorum mensè Augusto Ravennam venit, & honorificè à Longino Præfecto suscepta est cum omni ope regia. Post aliquantos autem dies misit ad eam præfatus, dicens; si charitati meæ copulata fuerit, & si lateri meo adhærere voluerit, & connubio se junxerit, amplius erit (2), quàm modò Regina est. Nonne ei melius est, ut Regnum, & Principatum totius Italiæ teneat, quàm hoc perdat, & Regnum amittat? Illa autem mandavit ei, dicens; si ille vult, infra paucos dies fieri potest. Die verò quadam dum Balneum parari iussisset, & vir, qui maritum occiderat lavacrum ingrederetur, postquam egressus de Balneo, in ipso fervore corporis, quo calor obsederat, attulit Rosmunda calicem potionem plenum, quasi ad Regis opus, erat enim veneno mixta. Tunc illa fumens de manu ejus vasculum, cœpit bibere. At ubi intelligens potum esse mortis, submovit ori suo poculum, & dedit Reginæ dicens; bibe & tu mecum. Illa verò noluit, evaginatoque gladio stetit super eam, & dixit; si non biberis de hoc, te percutiam. Volens, nolens, bibit, & eà horâ mortui sunt. Tunc Longinus Præfectus abstulit omnes Langobardorum thesauros, & cunctas opes regias, quas Rosmunda de Langobardorum Regno attulerat, unâ cum Rosmundæ, & Alboini Regis Filia ad Justinum Imperatorem Constantinopolim transmisit; & gavisus est Imperator, & auxit Præfecto plurima. (3) Ideoque viri quicunque conjugati estis, blandite uxores vestras, ne pejora patiamini, quàm hic. Mitigate illarum furiam, & litigium vos silete. Sunt qui dicunt; quod ego præcepero erit stabile, quod tu dixeris, non fiet. Si inflammaveris in te ipsum vertes. Nullam inde habeo curam. Non tibi credere poterò, quòd talem non gustasses calicem, sed propter turpitudinem, & verecundiam tacuisti, & ab alio verecundabar. Profers statim; illa uxor mea, pro qua me derides, vel unde subfannas, non damnum meæ cupit domui, bene res meas servat, dispositio ejus placet mihi. Aliter non potes dicere, nisi verbis pacatis. Quod non si audierit conjux, inflammatus, diuque litigaus maritus aporiatu huc, illuc vagans conjugis timore. Ille, qui obtinuit Regnum, qui attrivit inimicos, qui prælia vicit, qui urbes depulavit, qui sanguinem effudit, qui civitates

A evertit, qui ostes humiliavit, videte, quomodo blande interfectus est, & plagis corpus percussum est? Quis vir in malum potest habere consilium petiferum, quomodo iste malignus sensus? Sunt enim nonnulli, qui etiam amicum, vel proximum, sine conjugis voluntate in suam non recepit domum, quia uxor super virum primatum tenet; volentes, nolentes mulieris voluntati obtemperant. In crimine considerate Ægyptiam, in falsitate Jezabel, in seditione Dalila, in morte Jaël, in aspernantia viri Valthi, in hilaritate Herodiadem, in furore Sunamitem, in ira Ancillam Principis oltariam. Hoc vobis dico, quia multos tales invenimus, & maximè derisimus, & dolimus. Fratres homines fumus; sicut fœnum decidimus, sed si possumus, antequam veniat mors, nulla in nobis mala sint famæ, quia & sic docuerunt S. Prædicatores vestri, & hic cum ipsis magnus Petrus Pontifex, sub cujus temporibus hæc peracta sunt. Mortuus est autem in senectute bona die XVI. Kal. Septembris, & sepultus est, ut asserunt quidam, in Ardica B. Probi Confessoris in civitate dudum Classis. In Arca magna faxe ibidem positus fuit juxta Ecclesiam B. Euphemie, quæ vocatur ad mare, quam Maximianus Pontifex tessellis variis mirè ornavit, quæ nunc demolita est. Exinde ipsa arca evulsa est, & in alio loco posita. Sedit ann. VIII., mens. II., dieb. XIX.

## OBSERVATIONES

## AD VITAM

## PETRI SENIORIS.

Ordinatio Petri Senioris absque Jejunio.  
Statuæ Theodorico positæ. Venetiarum  
nomine quid veniat. Historia  
Alboini occisi in nonnullis  
diversa à Paulo  
narrata.

I. **N**otavimus supra Ordinationem Petri, quæ Agnello absque jejunio facta dicitur, intelligi debere factam ante septimi mensis imminens jejunium. Duos ordines Romanos post Morinum, Menardum, & alios, publici juris fecit Noster celeberrimus Mabillonius ad Sacras Ordinationes spectantes, in quibus plura ad materiam pertinentia contineri ait idem harum rerum optimus Judex. In priori autem notabile est Episcoporum Ordinationem ad diem Dominicam referri per ea; alia verò die, quod est Dominica &c. in secundo retrahi ad noctem præcedentem; etiam extra inferiorum ordinum tempora per ea; Episcopi autem omni tempore benedicantur, nunc verò mos est ut nocturno tempore benedicantur. Ex his nescio, an bene argui debeat posteriorem Ordinationem, priori recentiorum esse, an potius diversimode actum in Ordinationibus Episcoporum, servata traditione, de qua Leo Magnus, ut Sabbati vesperti, quod lucecit in prima Sabbati, vel ipso Dominico die, Ordinationes fierent. Constat saltem Leonis etiam tempore Episcoporum Ordinationes nocte, quæ Dominicam diem præcedit, factas. Jejunii Sabbati, quod in Ecclesia Romana antiquissimum fuisse aliunde constat, rationem habendam in Ordinationibus Leo ipse ostendit epist. 12. editionis Quæsnellianæ, loco à Mabillonio laudato in Commentario cap. 16. Verum hoc in primis ad

cate-

(1) *vigilans*. Mur.  
(2) *post*. Mur.

(3) *Annoniiones Aucloris*. Mur.